



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ

Foullon, Jean E.

Leodii, 1657

III. Declaratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

ingatur imaginem; qui omnia intellectu-
ne una cogitat, quia totus est intellectus;
& omnia volitione una amat, quia totus
est voluntas; & totus est intellectio, ac
volitio, quia totus est actus. Deum
ergo aliquid curare præ aliis, est, plures,
ad conservationem ac perfectionem illius,
effectus sollicitudinis & amoris extra se
producere, ac demonstrare.

III. Explicando huic argumento,
Declaratur. Theologi quidam duplicem
Dei Providentiam posuere, Naturalem,
& Moralem. Naturalem vocant, qua
Deus res creatas curat, morum incapa-
ces: moribus autem regi non possunt,
quæ carent ratione, discernendis ac diju-
candis moribus necessariâ. Moralem au-
tem appellant, qua Deus utitur ad guber-
nandos Angelos & homines, qui soli in-
telligentia præditi sunt, & moribus re-
guntur. Verùm eâ distinctione omiſſa,
D. Thomam audiamus prima parte, quæ-
ſtione 22. articulo 2. Postquam hoc ge-
neratim posuit: *Omnia subsunt divine
Providentiæ; sed diversimode.* Particula-

60 BONA VOLUNTAS

tim deinde subjicit: *Bruta subduntur providentia divina per se, & in singulari, sed propter aliud: propter hominem scilicet, cui serviunt. Boni subduntur providentia divina propter se: mali verò propter bonos tantum, ut bruta.* Unde id conficitur, quod modò ex Davide discebamus, præcipuam Dei inter aspectabilia sua opera curam esse de homine. Magis enim curatur finis agendorum, quàm quæ ad eum finem ducunt, & media vocantur. Tantâ diligentia ac vigilantia custodit ac servat Jacob Labani greges, ut numquam illi ostendat captum à bestia: at longè magis Racheli intendit, cujus causa pastor ovium est. Ita, cùm Deus bruta propter homines curet, plus multò sollicitudinis in hos dicendus est, quàm in illa impendere. Ex eadem ratiocinatione consequitur, potissimam Dei inter homines curam esse de probis: quandoquidem improbi ad proborum utilitatem ac profectum à Deo ordinentur, velut media ad finem.